

De la libr. a. el M. y P. de S. Juan Matheo Obpo de Cartagena
Dis. de M. de los Angeles de Borja y Frim

VLTIMVS TOMVS OPE

RVM DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI
Constantinopolitani, continens homilias in Genesim
LXVI. & alia quaedam quorum catalogum
uersa pagina uidere licet.



BASILIAE EX OFFICINA FROBENIANA
ANNO M. D. XXX.

DIVI IOHANNIS CHRYSO

STOMI EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI, SERMO AD
monitorios. ~~Sanctum~~ ~~quod~~ ~~dragesima~~, in qua opus sex dierum
enarrare cepit, ~~Interprete~~ interprete.

HOMILIA PRIMA



AVDEO & lætor, videns hodie ecclesiam dei, suorum filiorum
multitudine ornari, uosq; omnes multa iucunditate concurrisse.
Nam quum alacres uultus uestros intueor, quid uoluptatis esse in
animabus uestris, coniecturam capio maximam: quemadmodum &
Sapiens dicebat, Corde lætante uiret facies. Eapropter & ipse ho-
die ingenti alacritate surrexi, unam uobiscum lætitiæ illius spiritua-
lis particeps futurus, & uolens aduentus sanctæ quadragesimæ,
remediij, inquam, animarum nostrarum, uobis annunciator esse. Com-
munis enim nostri omnium dominus, ueluti pater filios indulgenter

amans, cupiens ea quæ unquam peccauimus nobis abluere, hanc quæ per ieiunium fit, cura-
tionem adinuenit. Nullus igitur sit mœstus, nullus etiam tristis appareat, sed omnes exultent
& gaudeant, ac glorificent animarum nostrarum curatorem, qui hanc optimam nobis aperuit
uiam, accipiantq; multa cum iucunditate illius aduentum. Confundantur gentiles, iritentur Iu-
dæi, uidentes uestram charitatem hilari promptitudine illius aduentum salutantem ac exci-
pientem, discantq; per experientiam, quantum inter nos & ipsos interuallum. Et illi quidem
ferias nominent, ebrietatem, omnemq; aliam intemperantiam, ac turpitudines, quas uerissimi-
le est inde ipsos attrahere: at ecclesia dei, ea quæ illis aduersa sunt, nempe ieiunium, uentris de-
spectum & omnes alias uirtutes illius comites, serias appellet. Hæ enim ueræ feriæ sunt, ubi
animarum salus, ubi pax, & concordia est, ubi omnis huius uitæ apparatus abigitur, ubi cla-
mor & tumultus, & coquorum discursus, & pecudum mactationes e medio tolluntur, quies
uero omnis & tranquillitas, & charitas, & gaudium, & pax, & mititas, & innumera bona pro
illis in usu sunt. De illo igitur, pauca obsecro charitati uestræ colloquamur, idq; primum ro-
gamus, ut sermones illos nostros placide suscipiatis, quo domum, fructum quendam insignem
assequuti, redeatis. Neq; enim temere & frustra huc conuenimus, ut unus quidem loquatur,
alius uero quæ dicuntur plausibus excipiat, & sic digrediamur, sed ut & nos frugiferum quid-
dam & salutis uestre conducibile loquamur, & uos lucro e dictis nostris accepto, & amplæ uti-
litatis fructum nacti, hinc exeatis. Ecclesia sanè locus quidam est medicinæ spiritualis, & eos
qui huc ueniunt decet, ne domum redeant, nisi congrua remedia acceperint, illaq; suis uulne-
ribus adhibuerint. Audi enim quomodo audire solum & operibus nihil præstare nihil ual-
leat, beatum Paulum dicentem: Non enim auditores legis iusti apud deum, sed legis facto-
res iustificabuntur. Et Christus concionando dicebat: Non omnis qui dicit mihi domine do-
mine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit uoluntatem patris mei qui in caelis est. Igitur
scientes, nullam porro utilitatem ex auditu esse, nisi & operum sequatur impletio, ne simus au-
ditores duntaxat, sed etiam factores, quo ipsa opera sermones sequentia, multæ nobis fidu-
ciæ sint fulcimentum. Proinde explicitis uestre mentis sinibus, sermones de ieiunio suscipite.
Et quemadmodum castam quandam & ingenuam sponsam ducturi, thalamis undiq; tape-
tis ornatis, domoq; tota purgata, & ingressu omnibus inhonestis ancillis interdicto, in cu-
m illam introducunt. Pari modo uellem etiam uos purificata uestra mente, ualeat de-
magistrat. ieiunium inquam, explicitis uestre mentis sinibus suscipere, ut & uos maiori frua-
mini uoluptate, & illud congruam uobis suam medicinam conferat. Nam si medici, pharma-
ca dare uolent, ut putridum & corruptum humorem expurgent, a corporali hac uoluptate
abstinere cupiunt, ita ut pharmaci efficaciam desit obstaculum, & operari, suamq; uim illa
aa declarare

